

simpliciter dominatur. Tales enim homines dicuntur ^{a)} animales, in quibus animalitas dominatur simpliciter. In universo autem principatus temporalis tenet locum anime sensitive, quia versatur circa sensibilia, principatus autem spiritualis tenet locum anime intellective, quia negociatur circa insensibilia. Ideo melior est ^{b)} dispositio universi, si ponatur quod principatus temporalium principatui ^{c)} spiritualium sit subiectus. Tertio quia melior est dispositio hominis in vigilia quam in sompno, quia in sompno fantasia ymaginum sensibilibus operatur non subiecta ^{d)} rationi, quia tunc non potest prodire in actum. In vigilia autem fantasia et ymaginatio operantur, ut deserviant rationi, et tunc regulantur ^{e)} a ratione. Set in universo principatus temporalium est ad modum fantasmatum, que consistunt in apparentia, quia bona temporalia magis sunt in ^{f)} apparentia ^{f)} quam existentia secundum beatum Augustinum in ^{g)} libro ^{g)} de doctrina christiana ³⁵⁾. Principatus autem spiritualium est ad modum intelligibilium seu ^{h)} intellectualium ^{h)}, que magis sunt existentia quam apparentia, et ideo optima dispositio universi est, quando temporalia spiritualibus subiciuntur, sicut in vigilia vis ⁱ⁾ fantastica ⁱ⁾ subicitur ^{k)} rationi. Quarto quia melior est dispositio anime rationalis, quando voluntas a ratione in suo imperio regulatur quam quando non regulatur ab ea nec connectitur sibi, set tendit secundum votum suum non respiciens ad lumen rationis regulantis ^{l)}. Set in universo principatus spiritualium se habet ad modum rationis regulantis et illuminantis, cum doceat ea que sunt agenda et ostendat illa que sunt credenda, principatus autem temporalis est ^{m)} ad modum potentie volitive, que nata est movere potentias executivas ad illa que a ratione dictantur, et ideo optima dispositio universi est in rationali anima, cum voluntas sequatur rationem. Et si dicatur, quod ista ratio est ad oppositum, quia voluntas imperat rationi et ita videtur quod principatus temporalis deberet imperare principatui spirituali, hoc non valet, quia sicut ⁿ⁾ voluntas est principalis in operando, ita intellectus e converso in regulando. Nunc autem ratio adducta non procedit quantum ad ordinem regulandi, in quo ratio pre-

a) *fehlt P 1.* b) *fehlt P 2.* c) *principi P 2.* d) *subici P 2.*
e) *regulatur P 1.* f) *fehlt P 2.* g) *fehlt P 2.* h) *fehlt P 2.*
i) *fantasmata P 2.* k) *subiciuntur P 2.* l) *recte P 2.* m) *fehlt P 2.*
n) *si P 2.*

³⁵⁾ *Gedacht ist wohl an De doctrina 1, 38 Migne 34, 35: Inter temporalia quippe atque eterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilesceat autem cum advenerit; non enim satiat animam usw.*